

tus expressus in l. *Qui falso*. ff. h. t. Quæ est canonizata in can. *Si teste*. 4. quæst. 3. quo utroque in loco sic legitur: « Qui falso, aut varie testimonia dixerunt, vel utrique parti prodiderunt, a iudicibus competenter puniantur: » videlicet pœna « legis Cornelia de Falsis, » ut explicat Glossa fin. in cit. l. *Qui falso*; et sequitur Farinacius d. quæst. 66. n. 56. allegans alios; quamquam circa finem cit. n. 56. moneat, quod hodie pœna falsi sit arbitraria. Porro secundum canones, testis ille de commisso perjurio deberet agere pœnitentiam septem annorum, can. *Quicumque*. 6. quæst. 1. ac notat Glossa c. *Sicut nobis*. 9. §. *Perjurio*. h. t.

329. *Nisi per errorem, seu ignorantiam id acciderit. Et quid si unum dixit in iudicio, et aliud extra iudicium?* — Excipe tamen hinc testem sibi varium, et contrarium per errorem, seu ignorantiam; ut puta, si per oblivionem aliquid dixit, et postea se corrigat, aut ab alio melius informari patiat. Talis enim non est puniendus; ut notat Farinacius loc. cit. n. 33. 34. et 75. allegans alios. Idemque dicendum, si unum dixit in iudicio, et contrarium ejus extra iudicium: quia testis deponens falsum extra iudicium, non punitur de falso. Farinacius ibid. n. 83. allegans communem; quamvis tanquam mendax leviter puniatur arbitrio iudicis, pro facti et personæ qualitate. Covarruvias cap. *Quamvis*. part. 1. § 7, n. 5. prope med. *de Pactis*, in 6; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 312. n. 3; Farinacius n. 84. et alii.

330. *Quando testis diversis iudiciis, vel diversis instantiis ejusdem iudicii contraria deponit, ordinarie statur primæ ejus depositioni jurato.* — Queritur IV. Utrum aliquid probet testis varians in iudicio, et quod dictum ejus valeat? Resp. I. Quando testis in diversis iudiciis (puta summario, et ordinario) vel in diversis instantiis ejusdem iudicii, super eodem facto contraria deponit, ordinarie statur primæ ejus depositioni juratæ. Ita Abbas c. *Cum in tua*. n. 9. et Felinus ibid. n. 4. h. t.; Menochius *de Arbitr. judic.* lib. II, cas. 108. n. 10; Farinacius quæst. 66. n. 124. et seqq. citans plurimos alios; Pirhing h. t. n. 158. et 160. asserens post Mynsinger, cent. 2. observat. 86. ita servare praxin cameræ imperialis. Ratio est, quia, ut l. *Generaliter*. C. *De non numerat. pecun.* et c. *Per tuas. de Probat.* expressum legitur: « Nimis indignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat

testimonio infirmare. » Accedit ratio: tum quia non debet esse in potestate testis, per falsi machinationem tollere jus jam quasi-tum parti, pro qua prius deponit; tum quia testis perjurio non creditur: atqui confitens, se prius jurato falsum dixisse, fatetur se perjurum; ergo ei non est credendum post talem confessionem. Hinc c. *Sicut nobis*. 9. h. t. non creditur testibus (nisi in proprium eorum præjudicium, seu ad injungendam ipsis pœnitentiam) qui asserebant, se corruptos testimonium perhibuisse falsitati: sed vult Papa, ut super hoc diligenter inquiratur, et si probetur corruptionis veritas, tunc primum sententia retractetur.

331. *Fallit hoc, si quis ex intervallo dictum suum corrigat allegando errorem facti, eumque probando. Error facti excusat.* — Additur tamen in conclusione, « ordinarie statur primæ, » etc. Fallit enim istud primo, si quis ex intervallo dictum suum corrigere vult, allegando errorem facti, eumque probando: eritque talis extra pœnam falsi, et ultimum dictum habebitur validum, et legitimum. Glossa in cap. ult. §. *Justa causa. de Jurejurand.* in 6. Zoesius h. t. n. 41. Siquidem error facti, si probetur ante negotium finitum, excusat: prout habetur c. *Ex parte*. 3. *de Confessis*. Et merito, « cum nullus sit errantis consensus, » per textum in l. *Non idcirco*. c. *de Juris et facti ignorant.* Unde etiam talis error excusat quempiam a culpa, et reddit eum innocentem cap. ult. juncta Glossa. §. *Justa causa. de Jurejurand.* in 6.

332. *Fallit etiam, quando posterius dictum iudiciale testis est magis verisimile, vel adminiculum aliis conjecturis.* — Fallit deinde, quando posterius dictum iudiciale testis est magis verisimile, quam primum. Item, quando secundum est adminiculatum redditione alicujus rationis concludentis, vel aliis conjecturis, seu præsumptionibus: quia tunc attenditur secundum, et non primum. Tyndarus tom. IV. *Tractatum*, tract. *de Testibus*. lib. I. cap. II. n. 5. et cap. XIV. n. 1; Farinacius cit. quæst. 96. n. 150. et 151. allegans alios. Idque desumitur ex c. *Litteras*. 14. *de Præsumpt.* ubi posterius dictum iudiciale, quoddam præsumptione adminiculatum, præfertur priori. Et c. *Per tuas*. 12. *de Probation.* ubi confessio extrajudicialis, gravibus præsumptionibus munita, præfertur juramento iudiciali. Et c. *Cum causam*. 37. h. t. ubi testes jubentur diligenter examinari de singulis circumstantiis; sicque dicta illorum, qui

magis verisimilia deponunt, merito præferenda censentur.

333. *Fallit tertio in causa hæresis.* — Fallit tertio in causa hæresis: siquidem testis super facto hæresis antea falsum deponens, si postea velit corrigere dictum suum, et veritatem directe, sive contra se, sive contra suos complices deponendo, non obstante quod sit perjurus, auditur et probat: dum tamen ex aliis iudiciis apparuerit, talem non animi levitate, odio, vel corruptione, sed zelo veræ fidei velle dictum suum corrigere, ac quæ prius pejerando celaverat, revelare. Idque ob favorem fidei statutum habetur c. *Accusatus*. § *Licet de Hæretic.* in 6. ac notat Felinus c. *Cum in tua*. n. 6. h. t. Covarruvias lib. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 9; Pirhing h. t. n. 159. in fin.; Farinacius d. quæst. 66. n. 757. allegans alios.

334. *Et quando testis deposuit primum dictum sine juramento, et posterius contrarium cum juramento.* — Fallit ulterius, quando testis primum dictum deposuit sine juramento, et postea secundum dictum contrarium deponat cum juramento. Quia tunc attenditur dictum juratum, etsi sit posterius; cum præsumatur magis præmeditatum, et ratione annexi juramenti veritati consonum: nam ideo testes compelluntur jurare, ut timore Dei, ac reverentia juramenti, verum directe cogantur. c. *De Testibus*. 29. h. t.; Tyndarus cit. *Pract. de Testib.* lib. I. c. XI. n. 1 et 2. Farinacius loc. cit. n. 148. allegans alios, et quasdam alias fallentias subjungens.

335. *Si testis sub juramento deposuit unum in iudicio, et contrarium ejus dicat extra iudicium, standum est dicto iudiciali, nisi contrarium aliunde probetur.* — Resp. II. Si testis sub juramento deposuit unum in iudicio, sed contrarium ejus vel jam antea dixerat extra iudicium, vel postea extra istud dicat, etiam expresse fatendo, quod falsum in iudicio dixerit; nihilominus standum est dicto iudiciali, nisi contrarium aliunde probetur. Ita Abbas c. *Per tuas*. n. 11. *de Probat.*; Tyndarus cit. *Tract. de Testib.* lib. II. cap. II; Menochius *de Arbitrar. judic.* lib. II. cas. 108. n. 19; Farinacius d. quæst. 66. n. 200.; Maranta part. VI. *Speculi aurei*, tit. *de Confessione*. n. 11. dicens, quod non probet confessio testis, extra iudicium asserentis, se falsum deposuisse in iudicio: quia non per hoc tollitur ejus depositio. Gabriel. *de Malefic.* lib. VII. conclus. 31. ubi ampliaciones et limitationes. Pirhing h. t. n. 161. et alii ab his citati. Id-

que desumitur ex c. *Sicut nobis*. 9. h. t. ubi non creditur testibus asserentibus extra iudicium, quod corrupti falsum in iudicio testimonium dixerint (« Cum perjuri sint, » ut loquitur textus) nisi in eorum præjudicium, sive ad injungendam ipsis pœnitentiam; et nisi aliunde contrarium probetur.

336. *Idque amplius ostenditur.* — Accedit alia ratio, quia testimonium iudiciale ob juramenti religionem, iudicisque præsentis auctoritatem est magis qualificatum, et deliberatum, sicque merito præfertur simplici dicto extrajudiciali. Quinimo non raro contingit, quod extra iudicium quis dicat falsum, ut complacere partibus; in iudicio autem propter religionem juramenti verum dicat: quia igitur istud ad hoc defertur, ut timore juramenti testes cogantur dicere veritatem, simulque nemo præsumitur esse immemor suæ salutis, potius statur dicto iudiciali jurato, quam alii; prout argumentatur Abbas in c. *Per tuas*. n. 11. *de Probation.*

337. *Solvuntur notabiles objectiones contra hoc.* — Objicies contra hanc conclusionem. In c. *Per tuas*. 10. *de Probation.* potius creditur priori dicto extrajudiciali mulieris, asserentis, quod filium susceperit ex proprio marito, quam ejus juramento iudiciali in contrarium postea præstito; ergo prius dictum extrajudiciale præponderat posteriori dicto iudiciali etiam jurato. Resp. hunc casum esse unum ex fallentis datæ conclusionis, quæ quidem regulariter procedit; patitur tamen et ipsa suas fallentias. Ideo autem ibidem credebatur potius priori dicto extrajudiciali memoratæ mulieris, quia cum ipso concurrebat communis existimatio populi, simul et nominatio et tractatus ipsiusmet mulieris, quo alterum tractabat ad modum legitimi filii: unde merito subsequens juramentum in contrarium reddebatur suspectum, ac nihil probabat, uti notat Abbas. cit. c. *Per tuas*. n. 9.

338. Urgebis, afferendo rationem ibidem a Pontifice allatam: « Nimis indignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eundem casum proprio valeat testimonio infirmare; » ergo. Resp. hoc imprimis verificari de testimonio iudiciali jurato, juxta dicta num. 330. Deinde loquendo de testimonio extrajudiciali, de quo ibidem est sermo, respondetur, id ipsum pariter procedere, quando quis dilucide, seu concurrentibus tam gravibus adminiculis, ut supra, quidpiam extrajudicialiter protestatus

est: alias secus. Vel dicendum Abbate loc. cit. n. 41. datam rationem procedere, quando quis negat in facto proprio, seu quasi proprio, et praesumitur appetere, seu horrere aliquid, prout ibidem accidit; nam tunc obest sibi confessio propria extrajudicialis antea facta, et negatio judicialis sequens redditur suspecta; quia praesumitur facta ratione emolumentum inde sperati. Secus autem dicendum, quando quis assumitur testis in facto alieno, unde nullum sibi sperare potest commodum eventurum: durum enim esset, quod quis ex simplici assertione extrajudiciali possit pracludere viam veritatis indagandae in iudicio.

39. Objicies ulterius. In l. *Eos qui*. ff. *Ad leg. Cornel. de Falsis* dicitur, « Eos, qui diversa inter se testimonia praebuerunt, quasi falsum fecerint, esse puniendos; » ergo neque primum, neque secundum dictum testis variantibus valet, quia est convictus de falso, atque ut talis puniendus. Resp. neg consequent. Ibi quippe sermo est de duobus contrariis testimoniis datis in iudicio, prout liquet ex sumario: in quo casu non credi secundae depositioni, cum fiat a convicto de falso, ultro est fatendum, conformiter dictis supra n. 330. Inde tamen nihil infertur contra ultimam conclusionem.

340. *Prima depositio jurata judicialis debilitatur per secundam judicialem contrariam, arbitrio iudicis.* — Resp. III. Licet prima depositio jurata, et judicialis, per secundam contrariam totaliter revocari non possit, ut dictum n. 330. nihilominus prima depositio per secundam judicialem contrariam debilitatur, ac redditur plurimum suspecta; et iudex ex circumstantiis, aliisque indiciis discernere debet, an, et quanta ei fides sit adhibenda. Ita Abbas in c. *Per tuas*. n. 11. de *Probat.* etc. Cum in tua. n. 9. et Felinus ibid. n. 4. h. t.; Tyndarus cit. lib. I. cap. xiv. n. 3; Engel. h. t. n. 56; Farinacius d. quaest. 66, n. 164. allegans alios. Idque desumitur imprimis ex c. *Præterea. de Testib. cogend.* Accedit textus in c. *Sicut nobis*. 9. h. t. ubi testibus privatim, seu extrajudicialiter dicentibus, se corruptos dedisse falsum testimonium, praeter poenitentiam eis injungendam, jubetur veritas diligenter inquiri: et consequenter eorum testimonium iudiciale debilitabatur, seu suspectum reddebatur per contrarium dictum ipsorum subsequens, licet fuerit duntaxat extrajudiciale. Idem ergo, et quidem a fortiori, dicendum de secundo dic-

to judiciali, quando est varium, seu contrarium priori judiciali.

341. *Idemque dicendum, quando testis extra iudicium responderit contraria dictis in iudicio.* — Addit Covarruvias lib. II. *Variar. resolut.* cap. XIII. n. 7. post Aretinum Consil. 71. col. 4. Alexandrum consil. 63. lib. I. et alios, vacillaturam quoque fidem testis, et arbitrio iudicis fore diminuendam, quando is extra iudicium etiam absque juramento responderit contraria his, quae jam solemniter in iudicio dixerat. Non enim (inquit) quispiam inficiari poterit, hunc testem saltem esse mendacem, et varium, sicque fidei satis dubiae; et ideo caute cum eo est agendum, et iudex discretus arbitrabitur, quantam fidem mereatur, attentam negotii, personarum, et temporis qualitate. Accedit casus proxime relatus ex cit. c. *Sicut nobis*. h. t.

§ XI.

DE TESTIBUS, DE CREDULITATE, ET AUDITU AUDITUS.

342. *Testes de scientia, qui? — Quæritur I. Qui dicantur testes de scientia, de credulitate, et de auditu? Resp. I. Testes de scientia dicuntur illi, qui deponunt, se scire rem ita gestam esse, eo quod proprio sensu corporeo, v. g. visu, vel auditu eam perceperint; puta, viderint Titium a Caio esse occisum, audierint eum blasphemantem, et hujusmodi. Scire enim in proposito illud dicimur, ad quod movemur per sensum: et hæc est scientia quæ requiritur in teste, ut inquit Abbas c. *Litteras*. n. 12. de *Jurejurand.* Idque patet ex can. *Hortamur*. 3. q. 9. et melius ex can. *Testes*. ead. caus. 3. q. 9. ubi dicitur: « Testes per scripturam testimonium non proferant, sed praesentes de his, quæ noverunt, et viderunt, veraciter testimonium dicant: nec de aliis causis, vel negotiis dicant testimonium, nisi quæ sub praesentia eorum acta esse cognoscuntur. » Concordat textus in l. *Testium. c. de Testib.* juncta Glossa marginali ibid. recte notante, quod testis debeat reddere rationem dicti sui per sensum corporeum, puta per visum, vel auditum, quibus communiter res gestæ percipiuntur; aut loquendo de iis, quæ gestu, odoratu, vel tactu percipiuntur, per sensum illis proportionatum.*

343. *Testes ordinarie requiruntur. Testes te-*

§ XI. DE TESTIBUS, DE CREDULITATE, ET AUDITU AUDITUS.

mentur reddere causam scientiæ, seu testimonii sui. — Et tales dicuntur Testes de propria scientia, quales ordinarie requiruntur ad facti probationem: quia non possunt testes esse certi de facto externo, et sensu perceptibili, nisi per aliquem sensum corporeum. Unde fit, quod testes teneantur reddere causam scientiæ, seu testimonii sui, quando desuper interrogantur, prout a iudice interrogari debent, c. *Cum causam*. 37. juncta Glossa *De causis*, h. t. Adeo, quod alioquin dictum ejus non valeret, c. *Sicut nobis*. 16. de *Sentent. et re judicat.* ac notat Glossa ibid. *De causis*, et communis doctorum.

344. *Testes de credulitate, qui? Hi proprie non dicuntur testes. Et sententia lata per dicta testium de credulitate, nunquam transit in rem judicatam.* — Resp. II. Testes de credulitate dicuntur, qui jurati deponunt, se credere, rem ita se habere. Et tales proprie non dicuntur testes, sed tantum improprie; ut inquit Glossa in l. II. § penult. *De Audierint*. ff. de *Aqua pluvia arcend.*; Farinacius de *Testib.* quaest. 68. n. 62 et Jason. in rubric. ff. de *Jurejurand.* n. 11. citans alios. Ubi proinde post Ant. de Butrio in c. *Proposuiti. de Probat.* et Lud. Romanum consil. 228. ad fin. et Alexandrum de Imola in l. *Si ab hostibus*. ff. *Soluto matrim.* notanter infert, quod sententia lata per dictum testium de credulitate, nunquam transeat in rem judicatam; sed cognita veritate per alios testes melius deponentes, semper possit retractari.

345. *Credulitas non potest stare cum scientia. Scientia de illis, quæ sunt facti, unde capiatur? — Porro, quod testes de credulitate non dicantur proprie testes vel ex eo patet. Quia credulitas concipitur ex variis argumentis, indiciis, et praesumptionibus, ut inquit Abbas c. *Litteras*. n. 12. de *Præsumpt.* ergo hoc ipso non potest stare cum scientia (qualis requiritur in teste proprie dicto per jura n. 332. allegata) sed inest ipsis quoddam dissidium. Scientia enim de illis, quæ sunt facti, tunc habetur; quando eam capimus per proprium sensum, puta, videndo, audiendo, gustando, etc. Credulitas autem ex conjecturis dimanat: et sic ibi non est vere scientia, sicque nec testis proprie dictus Mascardus de *Probat.* concl. 439. n. 2. et seqq.*

346. *Testes ex auditu auditus, sive ex auditu alieno qui? — Resp. III. Testes ex auditu auditus, sive (ut alii lequuntur) ex auditu alieno, vocantur illi, qui jurati deponunt, se illa audivisse narrari a viris fide dignis. Nam*

ut notat Glossa in can. *Hoc videtur*. 22. q. 5. *De Indicavit*. testimonium de auditu proprie est cum quis audivit aliquid dici esse factum.

347. *Non dicuntur vere, ac proprie testes et cur? — Porro testes de auditu alieno, pariter non dicuntur vere ac proprie testes; prout notat Glossa l. In summa. *De Audierint*. ff. de *Aqua pluvia arcend.* Abbas c. *Tam litteris*. n. 5. et Felinus ibid. n. 2. h. t. Farinacius quaest. 69. n. 7. citans alios. Et ratio est, quia testis debet deponere de eo quod gestum est, vel dictum in sua praesentia, cit. can. *Testes*. 3. q. 9. Tales autem non sunt testes ex auditu auditus, uti patet. Et hinc in c. *Licet ex quadam* 47. h. t. testes de auditu dicuntur « Testes praeter communem formam: » de quibus proinde etiam procedunt dicta n. 344. nempe, quod sententia ex eorum dictis lata, non transeat in rem judicatam.*

348. *Regula est, quod testes de credulitate non probent. — Quæritur II. Utrum testes de credulitate sint admittendi, et aliquid probent? Resp. I. Regula est negativa, videlicet eos non esse admittendos, nec probare. Ita Glossa c. *Quoties*. *De Credere*; et Felinus ibid. n. 7. *Est enim regulariter*. h. t. et alia Glossa l. *Testium*. *De Præsto*, c. eod.; Speculator tit. de *Teste*. § 1 n. 58; Socinus de *Fallentiis*, reg. 407; Farinacius loc. cit. quaest. 68. n. 62 et doctores communiter. Ratio est quia testis de credulitate nihil certi videtur affirmare: quinimo credulitas dimanat solum ex conjecturis, ac praesumptionibus; ac proinde ibi non datur vera scientia, virtute cujus quis possit aliquid certo affirmare. Atqui testes, ut probent, debent deponere de eo, quod viderunt, seu proprio corporeo sensu perceperunt, sicque sciunt, can. *Testes* 3. q. 9. et l. *Testium*. C. h. t. ergo. Accedit, quod testis de credulitate non sit proprie testis, ut proxime dictum: quinimo stricte loquendo, « scire, et credere, non possunt super eodem facto concurrere. » Abbas d. c. *Quoties*. n. 9. h. t. Quamvis illico recte moneat, quod verba testium rudium, qui non capiunt istas subtilitates, et sæpe dicunt, se credere illud, quod sciunt, sint largo modo capienda, ut valeat eorum testimonium.*

349. *Fallit tamen in pluribus casibus. — Resp. II. Etsi data conclusio contineat regulam, procedatque regulariter; dantur nihilominus plures casus, in quibus necessitate sic suadente admittuntur testes de credulitate. Ita Speculator tit. de *Teste*. § 1. n. 58; Soci-*